



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus HUMANIS. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Dvb. Quomodo bona voluntas pendeat à lege æterna, & in quo genere
causæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

Prob. Ra.
tione.

Probatur Ratione. Quia obiectum debet esse volitum ob aliquam rationem honesti; ergo ob aliquam rationem, ob quam directe sit conforme supposito rationali ratione vnti, & consequenter recta rationi.

Antecedens Probatur, quia cum triplex sit ratio boni, scilicet, honestum, delectabile (sub quo intellige naturam commodum; iuxta Anselmum) & vile; ratio delectabilis non sufficit ut voluntas sit moraliter bona; vnde neque ratio utilis ad delectationem, vel ad naturam commodum; relinquatur ergo sola ratio honesti, quae ad bonam voluntatem sufficiat.

ARTICVLVS IV.

Vtrum bonitas voluntatis pendeat ex lege aeterna?

14
Affirmat
iur.

Conclusio est. Bonitas voluntatis pendet ex lege aeterna; idque magis quam a ratione humana.

Probatur, Quia quando effectus pendet a duabus causis subordinatis, magis pendet a prima quam a secunda (quia causa secunda non agit nisi virtute accepta a prima;) atqui bonitas voluntatis pendet a lege aeterna tamquam a causa prima; a ratione humana tamquam a causa secunda (quia quod ratio humana sit regula voluntatis, habet a lege aeterna;) ergo magis pendet a lege aeterna, quam a ratione humana.

Lex aeterna.

Notandum Primò, Legem aeternam hic vocari, non preceptum, vel legem proprie dictam (quia ad bonitatem voluntatis non est necessarium, ut sit conformis alicui precepto vel legi;) sed dictamen aeternum diuinæ mentis, quo Deus iudicat qualis actus esse debeat, ut sit bonus.

Notandum Secundò, facile intelligi quo modo omnis bona voluntas debeat esse conformis legi aeternæ (nam hoc ipso quo est conformis iudicio rationis rectæ, est etiam conformis legi aeternæ, quæ rationis est exemplar.) Sed est

D V B I V M

Quomodo bona voluntas pendeat a lege aeterna, & in quo genere causa?

15

Ratio dubitandi est; quia ut voluntas sit bona, non est necesse eam lege aeterna dirigi; aut ut obiectum sit volitum, quia conforme legi aeternæ; sed sufficit ut voluntas tendat in obiectum honestum; ut patet ex supra dictis.

Respondeo, Bonam voluntatem non necessario pendere a lege aeterna, tamquam ab obiecto, seu ratione obiectiuâ: quia etsi obiectum possit esse volitum, quia conforme legi aeternæ; id tamen non est necessarium ut voluntas bona sit: Neque tamquam a regula immediata proponente obiectum; quia lex aeterna non proponit voluntati creatæ quid sit bonum, nisi mediante ratione creatæ: Sed dependet alijs modis, idque tripliciter.

Quot modis bona voluntas dependet a lege aeterna.

Primò, Tamquam a causa exemplari sua. Sicut enim omnium rerum creaturarum perfectio pendet a causa exemplari, cuius conformitate quæque res est perfecta in sua specie; sic omnis bonitas voluntatum pendet a lege aeterna, cuius

conformitate omnis voluntas est bona: ideo enim omnis bona voluntas est bona, dum est, quia suo exemplari est conformis; quod exemplar est lex aeterna. Porro hoc exemplar ita concurrat ad productionem & conseruationem bonæ voluntatis, sicut idea cum effectis, quæ a rebus creatis dependent.

Secundò, Tamquam a causa bonitatis sui obiecti. Cum enim bonitas voluntatis pendeat a bonitate obiecti; bonitas autem obiecti pendeat a lege aeterna, etiam bonitas voluntatis a lege aeterna pendet. Loquor de obiecto voluntatis creato, quale est actio externa; ideo enim colere Deum, reddere depositum, viuere temperatè, &c. est bonum actuali bonitate; quia conforme legi aeternæ; id est, quia ita se habet, sicut dictat lex aeterna. Verum aduerte, has duas dependentias magis esse physicas, quam morales.

Tertio igitur, Bona voluntas pendet a lege aeterna modo magis morali; nempe tamquam a prima sua regula proponente voluntati, quid bonum, quid sequendum mediante ratione recta. Immediata enim regula omnis bonæ actionis, est ratio recta, seu dictamen recte rationis proponens obiectum: hæc autem regula est imago legis aeternæ, & lex aeterna est huius exemplar.

Vnde sequitur, legem aeternam esse regulam mediatam & primam, quæ per rationem rectam proponit voluntati obiectum honestum. Ideo enim mens humana iudicat quid bonum quid malum, quia est imago diuinæ mentis dictantis quid bonum quid malum; & consequenter iudicium rectum mentis humana est imago iudicij mentis diuinæ, quod iudicium est lex aeterna.

Dices Primò, Etiam si non esset lex aeterna, tamen voluntas circa obiectum honestum esset bona: ergo non necessario pendet a lege aeterna.

17
Soluuntur
obiectiones.

Respondeo, Antecedens implicare contradictionem: si enim lex aeterna non esset, nullum obiectum haberet rationem honesti; & sic nulla quoque voluntas posset esse honesta. Causa est; quia non posset esse natura rationalis, vel humana ratio, cuius respectu dicitur honestum. Sicut, si non essent exemplaria in mente diuina, nulla creatura posset esse; quia etsi ex parte ipsius creaturæ non esset repugnantia ad existentiam, esset tamen ex parte causæ efficientis.

Si non esset lex aeterna, nulla esset bona voluntas.

Dices Secundò, Non ideo Idololatria, furtum, adulterium, mendacium, & similia, sunt mala, quia sunt prohibita lege aeterna; sed ideo sunt prohibita, quia mala: ergo similiter; non ideo opus est bonum, quia legi aeternæ consentaneum; sed contra, ideo est consentaneum, quia bonum.

Respondeo Negando consequentiam; Quia non seruatur debita proportio: oportebat enim inferre, ergo non ideo opus est bonum, quia præceptum lege aeterna; sed ideo est preceptum, quia bonum; quod verum est: nam obligatio in homine ad opus per legem æternam inducta, supponit bonitatem operis, non autem illam facit. Secundò, Quia etsi bonitas rei pendeat a lege æterna, non ideo defectus ab ea dependere debent: ut patet a simili in rebus naturalibus, quarum perfectio pendet a diuinis exemplaribus; defectus autem pendet a causis creatis, vel ex eo, quod finit ex nihilo.

Opus ideo a lege aeterna præceptum, quia bonum.